pro se bona sua reputantem significat. ut in iob. Tigris periit eo quod
non haberet praedam. Rinoceron. fortis quisque vel potens princeps saeculi. et
hoc vel in bonam vel in malam partem. In libro iob. Numquid volet
rinoceros servire tibi. Idem vocatur monoceros. id est unicornis. In
psalmo. rinoceros christum significat. Dilectus quemadmodum filius unicornium.
Vel sanctos significat. qui tenent unicum verbum dei. In malam partem po
nitur pro quovis superbo vel violento. vel unum testamentum tenentes. ut
psalmista in persona domini passuri. Libera me a cornibus unicornium.
Onager. heremita. vel qui remoti a turbis popularibus conversantur. ut in
752 libro iob. Quis dimisit onagrum liberum. aut vincula eius quis solvit.
Liber quippe dimittitur. qui calcatis terrenis desideriis. ab appeti
tione rerum temporalium. securitate mentis exoneratur. Solvuntur vero eius
vincula. dum divino adiutorio. interna desideriorum carnalium re
tinacla disrumpuntur. Iumenti nomine. interdum obedientes significantur.
ut est illud. Ut iumentum factus sum apud te. Aliquando luxuriosi. ut est illud.
Conputruerunt iumenta in stercore suo. Equi nomine. aliquando lubrica
vita puerorum. aliquando dignitas saecularis. aliquando hoc ipsum praesens saeculum.
aliquando praeparatio recte intentionis. aliquando rectus praedicator exp
rimitur. In bona parte. Qui ascendes super equos tuos. In mala. Fal
lax equus ad salutem. Mulus est irrationabilis quisque. ut psalmista. Nolite
fieri sicut equus et mulus. Asinorum nomine. stultorum pigritia designatur.
ut moyses. Non arabis inquit in bove et in asino. id est in praedica
tione non iungas prudentem cum fatuo. Simplicitas quoque fidelium.
asino exprimitur. quem christus regendo et praesidendo. ad visionem pa
cis perducit. Unde dicitur. Cognovit bos possessorem suum. et asinus praesepe domini sui.
Rursus eo signatur inmoderata petulantium luxuria. ut propheta.
quorum autem carnes sunt. ut carnes asinorum. Asina. caro. vel plebs ca
rens dei noticia. Cameli nomine. in scriptura sacra ipse dominus. ut est illud.
Facilius est camelum per foramen acus transire. quam divitem intrare in regnum caelorum. Et alibi. Li
quantes culicem. camelum autem gluttientes. Hoc in loco cameli nomine. dominus desi
gnatur. qui sponte humiliatus. infirmitatis nostrae onera sustinuit. et
acum punctionis. angustiasque foraminis. in dolore sustinuit pas
sionis. Culix susurrando vulnerat. camelus autem sponte se ad
suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo iudaei culicem. quia seditio